

sua quisque jaciebamus. Captionis solutæ, aut parum intellectæ, præmium, poenave erat nummus sestertius unus. Hoc aere collecto, quasi manuario, coenula curabatur omnibus, qui eum lusum luseramus. Erant autem captiones ad hoc fere exemplum; tametsi Latina oratione non satis scite, ac pæne etiam illepide exponuntur: *quod nix est, hoc grando non est: nix autem alba est: grando igitur alba non est.* Item aliud non dissimile: *quod homo est, hoc non est equus: homo autem animal est; equus igitur animal non est.* Dicere ergo debebat, qui ad sophisma diluendum ac refellendum ritu aleatorio vocatus erat, in qua parte, quoque in verbo captio foret: quid dari, concedique non oportet. Nisi dixerat, nummo singulo mulctabatur. Ea mulcta coenam juvabat. Libet autem dicere, quam facete Diogenes sophisma id genus, quod supra dixi, a quodam dialectico ex Platonis diatriba per contumeliam propositum, remuneratus sit. Nam quum ita rogasset dialecticus: *quod ego sum, id tu non es,* et Diogenes annuisset; atque ille addidisset, *homo autem ego sum:* quum id quoque assensus esset, et contra dialecticus ita conclusisset: *homo igitur tu non es:* hoc quidem, inquit Diogenes, falsum est, et, si verum id fieri vis, a me incipe.

De orat. I, 41. Est definitio, earum rerum, quæ sunt ejus rei propriæ, quam definire volumus, brevis et circumscripta quædam explicatio.

Orat. 33. Quoniam in omnibus, quæ ratione docentur et via, primum constituendum est, quid quidque sit (nisi enim inter eos, qui disceptant, convenit, quid sit illud, de quo ambigitur: nec recte disseri, nec umquam ad exitum perveniri potest), explicanda est sæpe verbis mens nostra de quaque re, atque involuta rei notitia definiendo aperienda est: si quidem definitio est oratio, quæ, quid sit id, de quo agitur, ostendit quam brevissime.

Herenn. IV. 25. *Definitio est, quæ rei alicujus proprias amplectitur potestates breviter et absolute, hoc modo: Ma-*